



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helvestadi[i], 1671

Cap. XXII. De Egesippo, Dionysio & Hieronymo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

CAP. XXI.

De Iustino Doctore & Martyre.

Per idem tempus, supra dictus Philosophus Christi *Iustinus*, secundum jam librum, pro nostræ religionis defensione, conscriptum, offerens Iudicibus, remunerationem linguæ fidelis & eruditæ, martyrii recepit munus, accusante eum quodam Philosopho, *Crescente* nomine, doloso proditore, & tendente ei insidias, pro eo maxime, quod sæpe eum præfatus Iustinus suis disputationibus publice confudisset. Hic antequam proprium funderet sanguinem, etiam eorum, qui ante eum martyres extiterant, certamina describit. Extant & alia ejus opuscula præclara, & magnæ eruditionis indicia, quæ enumerare longum est. Anicetus Papa Romanus sedit annis XI.

CAP. XXII.

De Egesippo, Dionysio & Hieronymo.

Interea Aniceto obeunti, *Sotther* succedit, & *Celadioni* Alexandrino Agrippinus. Tunc & supra commemoratus Dionysius, Corinthiorum Episcopus, & Irenæus, insignes habentur. Hi scribunt libros & Epistolas, erudiunt Ecclesiam & confirmant. Quorum ingenii extant adhuc monumenta. Extat hujus præfati *Dionysii Epistola* ad Athenienses perlucida, invitans ad martyrium, pro lapsos arguens; in qua & illud designat, quomodo *Dionysius Areopagites* à Paulo instructus, primus Athenis Episcopus fuerit ordinatus. Sed & *Theophilus*, quem supra

diximus, Antiochiæ commentarios scribit, & hæreticos, qui tunc surrexerant, disputationibus præclaris confutat, & præcipue Marcionem, cum quo *Irenæus* & *Modestus* magnifice laborant. Sed & *Melito* Sardensis Antistes, & *Apollinaris* Ierapolitanus, celeberrimi habentur, & scribunt libros pro nostra intercessione *Antonino*, Imperatori Romano. Extant autem Melitonis multa & præclara opuscula, in quibus Ecclesiæ fidei regulam mira depingit ratione. Hic in libello, quem de explanatione scripturarum scribit, quasi in præfatione enumerat, quæ sint veteris Testamenti volumina, quæ in Canone debeant observari. *Irenæus de hæresi Encratitarum.*

CAP. XXIII.

De hæresi Encratitarum.

Tunc surgit hæresis *Encratitarum*, à *Saturnio* & *Marcione* descendens, damnantium cibos animalium, quos Deus cum gratiarum actione humanis usibus percipiendos destinavit: nuptias quoq; & fornicationem, & corruptionem pari, lege judicantium. Quorum auctorem quendam fuisse ajunt *Tatianum*, qui primo auditor fuit *Iustini*, sed in vita ejus nihil tale quidem prodidit; sed postquam ille martyrio resolutus est, abscidit se ab Ecclesiis, doctoris arrogantia tumidus. Et ut major cæteris existimaretur, proprium docendi instituit stylum. Verum hic *Tatianus*, collationem faciens quandam *Evangeliorum*, nescio quomodo, componit
unum